

## CLASSIS III.

DE

*Requisitis Unionis Solennitatibus.*

**U**T autem Unio Prolium subsistat, Solennitates à Jure, Statuto, vel consuetudine requisitas quàm diligentissimè observari necessum est, hæ autem ad quinque capita regulariter revocari possunt. Requiritur itaque

1<sup>o</sup> Consensus non tantùm Parentum Unientium, Libero-  
rùmque Uniendorum, aut si hi propter ætatem consentire ne-  
queant, Tut<sup>r</sup> & Curatorum, sed & proximorum utriusque  
lineæ agnatorum. *Arg. L. 39. ff. de Adopt. & L. 2. Cod. eod.*  
*Carpzov. 5. resp. 6. n. 17. & 18. Stat. Ful. cap. 76. §. Stemb-*  
*lich man r.*

Ubi Tut<sup>r</sup> & Curatores proximique Agnati in vim juramenti  
asseverare tenentur, se Unionem Liberis Uniendis utilem esse cre-  
dere. *Stat. Ful. §. Es sollen aber.* Concordat *Constit. Mogun-*  
*tina de Unione Proli. §. Und sollen die r.*

2<sup>do</sup> horum omnium consensus in ipso negotio debet interponi,  
nec subsequuta ratihabitio sufficit. *Stryck. l. cit. §. 7.*

3<sup>tiò</sup> Requiritur Autoritas Magistratûs ordinariam habentis  
Jurisdictionem & quidem plerumque competentis respectu domi-  
cillii vel bonorum sitorum. *Carpzov. 5. resp. 6. n. 15. Stryck.*  
*l. cit. §. 8.*

Quod pariter confirmat *Stat. Ful. cap. 76. ibi Richter und*  
*Schessen/ darunter Er gefessen.* adeò, ut *Rickius cap. 4. n. 23.*  
statuat,

statuat, quòd ( si alius sit domicili, alius rei sitæ Judex ) uterque adeundus sit ; ut tamen sufficere videatur, per requisitoriales rogatum alterius Territorii Judicem in Unionis Contractum consentire.

Ex his & illud sequitur, quod solius Notarii interventus & Instrumentum ad hujus pacti firmitatem non sufficiant.

4<sup>to</sup> Requiritur causæ cognitio, id est, diligens Inquisitio bonorum conditionis, ætatis, ac valetudinis, nec non morum utriusque Parentis, consideratio numeri utriusque lineæ Liberiorum Uniendorum, ut magna inæqualitas, & læsio gravis evitetur. *Muller ad Struv. l. cit. lit. B. Stat. Ful. d. cap. §. 2. Semblich. c.*

In causæ cognitionem & illud venit, ut utriusque Parentis patrimonia tam in re, quàm in spe consistentia sedulò explorentur. *Musc. d. memb. 3. n. 90.*

Unde modica inæqualitas consideranda non est, præsertim, dum neo-Conjux eam suâ industriâ, & acquæstibus affatim compensare poterit. *Rick. loc. cit. n. 13.*

Licet autem solennis Inventarii confectio, nisi Statuto expressè requiratur, absolutè necessaria non sit, modò aliunde de Justitiâ Unionis Judici constare possit. *Musc. d. memb. 3. n. 108. Klockius tom. 3. conf. 160. n. 15.*

Quo tamen de omnium utriusque thori bonorum statu perfectius pateat, & fraus omnis evitetur, designationem bonorum fieri omninò expedit. *Arg. L. 5. §. 11. de reb. eor. qui sub. Rick. cap. 6. n. 40. ubi id expressis plurium locorum Statutis confirmat. n. 42.*

Testium interventione ad validitatem Unionis planè opus non est. *Rick. l. cit. n. 36. & seq. Musc. loc. cit. n. 102. & seqq.*

5to Decreti Judicialis interpositio per modum approbationis, omninò necessaria est; *Carpz. 5. resp. 6. n. 22. Stat. Jul. §. 3. Wo aber 2c.*

Sufficit tamen Decretum hoc supervenire, secùs, ac in alienatione Bonorum Minoris, cùm tantùm sit Unionis confirmatio. *Rick. l. cit. n. 45. Stryck. l. cit. §. 11.*

Ut Unionis Instrumentum in Archivium publicum referatur, ad faciliorem tantùm probationem conducit, hinc & aliunde quàm ex Archivio eam probari sufficit. *Stryck. us. mod. ff. tit. de adopt.*

Alicubi tamen speciales ad hoc libri sunt deputati, in quos sunt referendæ Uniones Prolium teste *Wehnero pract. observ. lit. E. voc. Ein-Kindschaft.*

Unâ ex supra numeratis Solennitatibus omisâ Unio ob non servatam formam pro nullâ est habenda. *Gail. 2. obs. 125. n. 8. & seqq. Constit. Mogunt. de Unione prol. §. fin. Boeinige 2c.* licet mutuo partium consensu & voluntate talis omisio facta fuerit, cum Jus publicum privatorum pactis immutari nequeat. *Rick. cap. 6. n. 45. vers. imo hac.*

Neque refert, quòd fortè inter Rusticos, & Personas de Jure magis privilegiatas celebrata fuerit. *Stryck. de Success. ab intest. diss. 8. cap. 6. §. 13.* cùm Rusticus ipso Jure non excusetur, nisi in casibus à Jure expressis. *Menoch. de arbitr. Judic. lib. 2. cent. 2. cas. 194. n. 5.*

Neque accedens Juramentum Solennitatis supplet defectum, cùm veritas sinè Solennitatibus non sufficiat. *Muscul. d. memb. 3. n. 42.*

Quòd si tamen Liberi uniti, illique quorum in Unione ali-

quod

quod vertitur præjudicium nihilominus unionem informem probent, illique stare velint, non est, cur suos non sortiatur effectus. *Barbos. vol. 2. conf. 35. n. 23. Bocer. disp. 12. n. 12. Stryck. d. cap. 6. §. 13.*

Nam Solennitas in favorem alicujus requisita, si omissa fuerit, actum vitiat, saltem si illi nocivus, non si commodus fuerit. *L. 14. Cod. de Procur.* Cæterum & illud hîc quæritur: An à Parentibus fictitiis satisfactio de restituendis bonis Unitorum sit exigenda? negat in thesi probabilius *Rick. cap. 9. n. 45. Heering. de Fidejuss. cap. 5. n. 280.*

Si tamen Prens malè utatur substantiâ Liberorum, aut metus dilapidationis subsit, satisfabit, aut administratione est privandus. *Muscul. l. cit. n. 92.*

## C L A S S I S IV.

D E

*Bonis sub Unionem cadentibus.*

**U**Nio Prolium vel de omnibus Unientium & subinde etiam Unitorum bonis, vel de certâ eorum parte, v. g. solis mob- & immobilibus, veletiam de solis acquæstibus potest celebrari. *Muscul. 109. Rick. cap. 6. n. 76.*

Cæterum Unione generaliter, & indefinite celebratâ omnia bona à lege vel homine specialiter non excepta in Unionem deducta esse videntur. *Klock. tom. 3. conf. 160. n. 39. § 40. Stryck. §. 16.*

Excipiuntur autem à lege omnia ea, quæ Jure communi ab onere collationis sunt libera, quæque alterius Matrimonii Liberis uni vel pluribus Jure præcipui debentur. *Rick. cap. 5. n. 1. Muscul. n. 132.*

B 2

Unde